



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

LXXXII. S. Leo II. Anno Christi 682. Constantini Pogonati 15.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65446](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65446)

*di decreti Constantinopolim, sed obnoxios
fuisse Exarchorum examini, donec ipsi
tandem Exarchi defecere.*

LXXXII.

S. LEO II.

ANNO CHRISTI 682.

CONSTANTINI POGONATI

15.

LEO II. Pauli filius, Sículus, XVI.
Pag. an. 682. §. 3. Kal. Septembr. anno 682. ordi-
& an. natus est à tribus Episcopis, id est An-
663. §. 2. drea Ostiensi, Joanne Portuensi, & Pla-
Bar. an. centino Veliterniensi, pro eo quod Alba-
683. §. 1. nensis Ecclesia Episcopum minime habuit.
(1) Fuit disertus, divinarum Scrip-
turarum peritus, Græcè & Latine
doctus: cumque ipse paupertatem
amaret, aliorum inopiam sollicitè
sublevabat. Sanctum sextum Conci-
lium, cujus acta Legati Romam de-
tulerant, prioribus quinque Oecu-
menicis Synodis dignè connumerari,
tanquam unà & equali Dei gratià con-
gregatum, decrevit, (2) atque de
Bar. an. Græco in Latinum transtulit. (3) Ejus
683. §. exemplum misit in Hispaniam, de-
16. Pag. que re ea ad Hispaniarum Episcopos
§. 8. Re-

Regemque Eruigium epistolas dedit. Utramque supposititiam putant aliqui, quod in utraque Honorius Pontifex cum Monothelitis anathemate percussus legatur. At ille non damnatur propter hæresim, sed propter negligentiam in hæresi extinguenda. (4) Leonis; opinor, Bar. an. hortatu Constantinus decrevit, ut 684. §. 1. defuncto (Ravennate) *Archi-Episcopo, qui electus fuerit, juxta antiquam consuetudinem in Civitatem Romanam veniret ordinandus.* (5) Anno 683. Pag. an. V. Nonas Jul. decessit, post menses 687. §. 2. decem, & dies septendecim, quam in Petri sede fuerat collocatus.

ANNOTATIONES.

(1) Anastasius Bibliothecarius in Vita Leonis II. pag. 143. cujus auctoritate refelluntur, qui putant, ante Leonem II. consuevisse Romanum Pontificem ab uno tantum Ostiensi Episcopo consecrari. Cum enim dicat Anastasius, ideo in locum Episcopi Albanensis subrogatum Veliterniensem, quod Albanensis Ecclesia Episcopo careret, id argumento est, moris antea fuisse, ut simul cum Ostiensi & Portuensi etiam Episcopus Albanensis Ordinationi Romani Pontificis ministraret. Quam sententiam confirmat Mabillonius cap. 18. Commentarii in Ordinem Romanum tom. 2. Musei Italici pag. 118. ac postea sub-
jicit

jicit in hunc modum: *Certè ordinationes Episcoporum à tribus Episcopis, etiam ante Nicenum Concilium, Roma factas fuisse, colligimus ex facta Novati, qui accusos Romam tres Episcopos temulentos, horà decimà inclinos, adumbratà quadam & inani manuum impositione Episcopatum sibi iradere cœgit, scribente Cornelio Papa in epistola ad Fabianum Antiochenum apud Eusebium in l. b. 6. cap. 43. unico conventus quidem futurus, si unus ad consecrandum Romanum Anistitem non suffecisset.*

(2) Leo II. epist. ad Constantinum Imperatorem apud Labb. u. n. tom. 6. Conc. pag. 1116.

(3) Sigebertus de Scriptor. Eccles. cap. 59. Trithemius cap. 236. apud Fabricium in Bibliotheca Ecclesiastica, qui hanc subdit annotationem; *Ceterum Acta Sextæ Synodi à Leone II. versa esse Latine, incertum, quâ fide Trithemius affirmet.*

(4) Leo II. epist. ad Eruigium apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1252. *Honorius Romanus, qui immaculatam Apostolicam traditionis regulam, quam à prædecessoribus suis accepit, maculari consensit.* Vide annotat. 4. ad Honorium.

(5) Anastasius Bibliothecarius pag. 142.